

dū sunt, habent posse: & dum possunt, habent esse. Sed enim febrē ut malum, & de causa & de potentia sua, ut notū est, abominamur potius quām miramur, & quantum in nobis est præcauemus, non habētes abolitionem eius in nostra potestate. Hæreses uero mortem æternam, & maioris ignis ardorē inferenteis malunt quidam mirari quod hoc possint, quām deuitare ne possint: cum habeant deuitandi potestatem. Cæterum nihil ualebūt, si illas tantum ualere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in scandalū subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum taleant, quasi ex aliqua ueritate ueniant. Mirum scilicet ut malum uires sūt as habeat nisi quod hæreses apud eos multum ualent, qui in fide non ualent. In pugna pugilum & gladiotorum, plerūq; non quia fortis est, uincit quis; aut quia non potest uinci: sed quoniā ille qui uictus est, nullis uiribus fuit: adeo idem ille uictor bene ualēti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod ualent, nihil ualent si in bene ualentem fidem incurvant. Solent quidem isti miriones etiam de quibusdā personis ab hæresi captis, ædificari in ruinā. Quare illa uel ille fidelissimi, & prudentissimi, & \* uetusissimi in ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondit? Neque prudentes, neq; fideles, neq; usitatos aestimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retro, postea excidat: Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid uir bonus secundum cor domini, postea cædis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si episcopus, si diaconus, si uidea, si uirgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit: ideo hæreses ueritatem uidebuntur obtinere? Ex personis probamus fidē, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nemo fidelis, nemo maior nisi Christianus. Nemo autem Christianus, nisi qui ad finem usq; perseuerauerit. Tu ut homo extrinsecus unumquēq; nosti: putas quod uides. Vides autē quousq; oculos habes. Sed oculi, inquit, domini alti. Homo in faciem deus in præcordia contéplatur. Et ideo cognoscit dominus qui sunt eius: & plantam quam non plantauit, eradicat: & de primis nouissimos ostendit: & ueritabrum in manu portat ad purgandam aream suam. Auolent quantum uolunt paleæ leuis fidei, quocunq; adflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea domini reponetur. Nonne ab ipso domino quidam discentium scandalizati deuerterūt: nec tamen propterea, cæteri quoq; discedendum à uestigijs eius putauerunt: sed qui scierunt illum uitæ esse uerbū, & à deo uenisse, perseuerauerunt in comitatu eius usq; ad finem: cum illi si uellent, & ipsis discedere placide obtulisset. Minus est si & apostolum eius aliqui Phygelus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt: ipse traditor CHRISTI de Apostolis fuit. Miramur de ecclesijs eius, si à q; Als \* ille uel illis.

h 2 busdā